



IN MARI OCEANO (Hải Thượng Tân Thư)

Magistri Phan-Hoang epistularum series

Epistula undecima

Trời dài đất rộng, đi thật, sống thật, ghi vội, gửi về...

Cánh Thư Phan-Hoàng ĐẦU SÓNG NGỌN GIÓ

Lá Thư Số 11: Đi Kamakura

DE ITINERE AD URBEM KAMAMURAM

(epistulae decimae pars secunda)


Celebratione anni MMIX principii apud claram Enoshimae sacram aedem abfui. Dies festus, autem, per triduum agitur. Ita occasionem ad Kamaurae plagam explorandam habui.



Hic vetustus locus inter occasim brumalem et meridiem spectans, ab urbe Tokyo L chilometrorum spatio abest. Si velis hamaxostichio uti, duas vel tres horas consumas, cum rectum iter feceris: in hac urbe metropolitanorum hamaxostichorumque cursus, cum permulti sunt et a multis

sodalitatibus administrati, permultiplices sunt. Tessera vero apud automatarium emenda est: hoc non solum peregrinatoribus patienter ferendum est, sed etiam saepe Iaponiensibus ipsis. Forte Eboraco, Lutetiae Parisorum vel Hong-Kong non sumus: hoc loco incolae patientissimi tolerantissimique sunt. Ego autem, ut Kamamuram eam, cursu Odakyu usque ad urbem Fujisawam utor, inde cursu Enodem, ibi terminate. Hamaxostichus amoenissimus est. Trans montes, angustias, agros lentissime procediti; huc et illuc oceanum mare ostendit; postremo repente apparet in urbe admodum parva. Denique, ut amans puellam expectans, moratur. Viatores tacent dum alter hamaxostichus in stationem pervenit magno cum clamore: nam acutissimo sibilo signum dat. Ex urbe Fujisawa ad urbem Kamamuram XIV stationes sunt, ubi mirifica monumenta invenies. Clarus Magnus Buddha XIII metra altus, apud aedem sacram Kotokuin, propinquus urbi Hase i. e. XI stationi, est. Tsurugaoka Hachimangu, amplissima aedes sacra, in media Kamamura posita, ad primum lapidem a postrema statione est. Cum regio Kamamura saepissime nominatur a Iaponicis historiarum scriptoribus, nesciebam quid visurus essem primum. XII saeculo, Shogonatorum praetorium, cum CC milia incolarum habitavissent, in





orbe terrarum quarta urbs magnitudine fuit. Nunc Kamamura parva urbs est; in locis propinquis, autem, tam innumerabilia et Shinti et Buddhae templa invenies ut triturus dies vel menses, ad illa videnda, sis. Ante XXVII annos primum hanc regionem vidi, i. e. anno MCMLXXXIII, nunc iterum huc venio. Cur dies teris in isto loco, dixerit quispiam? Nescio quid respondeam. Meam sententiam tamen, cum iter facio, vobis patefacio: *i, carpe diem, omnia percipe, expecta incerta.*

Primo die multo mane, cum exiissem ex statione urbis Fujisawae, in hamaxostichum iter facientem Kamamuram statim non ascendo. Cum urbem quidem circumiissem, parumper moror, ut sentirem, bene mane, huius urbis alacrem auram, omnibus festinantibus eundem in locum: hamaxostichum ad urbem Tokio. Viri induti austeris vestibus classicis, albis subuculis, taediosis focalibus sunt. Mulieres quoque vestes classicas induunt. Plerique omnes, cum munitae calcibus sint, dum currunt, concrepant. Hoc me delectat, cum iterum vitam, quam olim in Europa, in Vietnam multo ante, in Alba Russia abhinc biennium vixeram, vivo. Rideo, dum recordor de vita matutina in Washington D. C. Plurimae mulieres easdem classicas vestes induunt, quod in rei publicae ministeriis vel in clararum societatum tabernis in operas sunt. Multo mane, vero, omni celeritate feruntur, cum soleis gymnics munitae sint. In perulis calceos cultos ferunt, quos in publicis domibus vel tabernis induant.

In hamaxostichorum statione Lumine, amplissimum altissimumque emporium eminet, variatum, cum Odakyu, suus adversarius, ater sit. Utrumque intus novum, tersum, repletum innumerabilibus opibus est: machinis computatoriis, calceis, sushi etc. Tabulatione superiore, Starbucks thermopolium est, cum in Odakyu emporio, apud quoddam ostium, titulum Gallice scriptum "Café Comme Ça" videas: hoc thermopolium amplius silensque est. Arabica potionem iucundam, Americano more parata, tamen bibis, cum illi loco solum Gallicum nomen sit. Abhinc paucos dies eam degustavi. Quaesiveram *espresso*, in thermopoliis Gallicis Italicisque. In Iaponia invenis, tamen minus prospere succedit, ita ut thea, ferventi aqua diluta. Iuvenes digitorum saeculi, Iaponici vel alienigenae, potione a maioribus tradita neglecta, Arabicam illam, Americano more paratam, dum in internet navigant, subbibunt. Nobis nova technologica ars non reprehendenda, sed comprehendenda est, ut eius vim in hominum vitam intellegamus. Nostra aetate Anglum sermonem potius quam Gallicum discimus. Ne lamentati simus, intellegamus vero! Item de remissione in Iaponia aliisque nationibus dicturi sumus. Alii lamentantur, alii eam investigant ut occurrant.

Dum ex thermopolio exeo, iturus ad hamaxostichum, in iuvenum multitudinem, diversam euntem, incido. Laetissimi ornatique sunt. Cum frigus sit, multae puellae indutae bracellis calceolisque sunt. Ista huius saeculi consuetudo est, ut dicitur. Perpauci kimonis induti sunt. In Iaponia multa inter se discrepant. Quam ob rem, Iaponia singularis natio est. Intellegi non potest cur homines tam urbani, elegantes politique aliquando clam mingant. Intellegi non potest cur plerique



omnes et Buddhae et Shinti sectatores simul sint; cur hodie plurimi iuvenes sacrum nuptiale rito Christiano sumptuosissime conficiant, cum mores maiorum, non doctrinam Christi percolant. Mea sententia, Iaponica gens tam fortis est, quod efficit quod, communi hominum opinione, perfecturum non sit. Huius temporis recessio omnes periclitabitur. Brevi tempore, de fortuna nationum inter se pugnantium, conscii erimus. Ego vobis praenuntio aliquas Iaponicas societates decocturas, alias eodem tempore aucturas esse. Item eventurum, aliter tamen, in multis nationibus.

Kamamurae paene vulneratus sum, cum, admiratus multitudinem hominu procedere una via, ut eximiae magnitudinis draconem per silvam, in Iaponia autocinetum agendum esse sinistra oblitus essem. Ita autocinetum me petiturum non vidi, cum viam transiturus essem, oculos conversus dextrorsum. Animi motu placato, immanem draconem insequor, initurum in artam viam, sub rubris immensis cancellis. Ei insisti. Vetusta via frequens est. Infinita multitudo una via procedit ad claram aedem sacram Tsurugaoka Hachimangu.

Me dedecet, ut opinor, tam diu multitudinem sequi. Ad compitum perventus, alio me confero. Quid accidit? Deerravi itinere. Interdum bonum deerrare itinere est, nam longius iter tibi faciendum est, multas res inusutatas inventurus, animo commotus inflammatione vel metu. Quibus rebus consilium ingeniumque animi fingitur: incertis formidulosisque. Denique duas horas post ad aram perveni: fessior sed laetissimus, quod multitudinem secutus non sum. Ara immensa pro me eminent, in summo colle. Vitam miram mirabilemque esse sentio. Nunc sacrum visitaturus sum. Salutationem vero non modo incipio, sed multo mane, cum statui iter ingressurus essem. Nostri pluris interest quomodo ituri simus quam quorsum.

(sequitur epistula XXII)

Charles Phan-Hoang, mense Ianuario, anno MMIX